sedeat in mente expectādo et expetendo corporis necessaria tanꝙ̄ sui mancipii ⁊ q̇d quid homo sūmit de cibo et potu in hoc intendat non sibi subuenire sed deo ꝓpinare et ministrare. ¶ Tercō crucifigēdo desiderium comodi corporis et de talibꝫ homo non plus expetat ꝙ̄ stricte nature sue necessitati sufficiat. Et de his duobꝫ dicit August. in sol. sic. Omino me de cibo et potu siue balneis ceteraqꝫ corporis voluptate nihil interroges tantum em̄ de eo peto ꝙ in valitudinis opem conferre pōt. Talis recte celebrat inuentōnē crucis. Sed heu mlti festum faciūt non inuētionis sed ꝑdicōis crucis. Quales sūt qui postꝙ̄ crucē spūalis vite in religione vel extra apprehēderūt retrocedētes eam perdūt. Nam crux nr̄a regularis vita est. Crux em̄ dicitur a cruciatu quo homo mēbra sua ad xp̄i seruiciū cruciat Vn̄ dicit ipse xp̄s Luce. ix. Siquis vult venire post me tollat crucem suam ⁊ sequatᵃ me. Et talis vere crucem xp̄i inuenit/ꝑmo seip̄m affigit et vt possit dicere cum apl̄o Christo confixus sum cruci ⁊c̄. Gal. ii. ⁊c̄.

lxxv. ¶ Sub Sermo primus.

Inueniet vitam ⁊c̄. In isto verbo btā crux nobis describitᵃ mirabilis et virtuosa ex nostra reparacōne quia de morte ad vitā mirabiliter reduxit. Quod sic declarari potest A Nā xp̄s qui in omnibus operibus suis mirabilis inuenitur nos per mortem suam mirabiliter viuificauit/ sicut anima per suam paupertatem mirabiliter nos ditauit Teste apostolo qui dicit. Cum esses diues pro nobis egenus factus est vt eius inopia diuites essemus. Nam per hoc ꝙ xp̄us carnē assumendo seipsum exinaniuit nos omnibꝫ virtutibus et donis celestibus repleuit. Similiter etiam per hoc ꝙ pro nobis īnocenter mortem ex caritate sustinuit nos spiritualiter viuificauit/ vnde dicit Aug⁹. iiii. d trī. Qui per mortem suā simplicē nos a duplici morte corporis scilicet et anime liberauit/quia mortem nostram in seipso occidēs occidit. Qd̄ etiā sꝫm Aug⁹. ibidē figuratur ꝑ hoc ꝙ corpus xp̄i mortuū vna die ⁊ duabus noctibꝫ iacuit in sepulcro. Ad designādum ꝙ ꝑ suam vnicā mortem que etiā idꝓ diem intelligitᵃ quia eā non ex debito sꝫ ex sola caritate sustinuit nos a morte corporis et aīe que ꝑ duas noctes intelligitᵃ liberauit. Et ideo lignū crucis cōgrue figuratᵃ ꝑ lignum vite qꝛ ꝑ eius virtutem spiritualit̄ viuificamur et ad vitam gr̄e reducimur. Hec aūt viuificacō nostra ꝑ lignum sancte crucis facta colligitᵃ ex tribꝫ. ¶ B

¶ Primo quia ꝑ eam xp̄s mortem destruxit Ozee. xiii. Ero mors tua o mors morsus tuus ero inferne. In quo verbo sꝫm Aug⁹. notabilit̄ innuitᵃ ꝙ xp̄s ꝑ suam mortē destruxit mortem nature ꝑ resurrectōnē mortem culpe per peccati delecōnem/et mortem iehenne ꝑ eius expoliatōnem. Infernum autem sꝫm Aug⁹. non destruxit sꝫ momordit/Quia damnatos in inferno relinquens patres sanctos existentes in lymbo victorialiter liberauit ¶ Scdo per eā nobis vitam restituit Col. ii. Cū essem⁹ mortui in delictis cōuiuificauit nos cum illo donans nobis omnia delicta. ¶ In quibꝫ verbis apostolus beneficium nostre viuificationis tripliciter attollit. Nam primo ostēdit istam viuificacōnem esse ꝑ omnia necessariam. Ideo dicit cum nos scilicet gentiles essemus mortui in delictis. id est i prauis concupiscenciis et in transgressione legis naturalis. ¶ Secundo ostendit ipsam esse plenam et integram/et ideo dicit conuiuificauit. id est simul in anima et corpore viuificauit et hoc cum illo. id est ad similitudinem illius. Quia sicut xp̄us veraciter resurrexit. ita et nos a morte anime et corporis veraciter et integraliter suscitauit ¶ Tercio ostendit ipsam gratam et gratuite nobis impensam sine vllis nostris meritis precedentibus. Et ideo dicit donans nobis ita gratuita sua bonitate/ relaxans nobis omnia delicta/quia tam originalia q̄m actualia ¶ Ex quibus patꝫ ꝙ istud beneficium fuit nimis amicabile. et ideo nobis summe acceptabile. Tale munus vere probat amicum quod datur in necessitate veraciter et integre/ et quod datur liberaliter et gratuite. ¶ Tercio patet quia ꝑ eam nobis vite ianuam reserauit. Suo enim sanguine nobis christus reserauit ianuam paradisi que fuit per peccatum primi hominis per multa annorum milia obserata. Quod etiam figurabat flame⁹ gladius prohibens hominem ab ingressu paradisi. Vnde scribitur ysa. tricesimosecundo Dabo clauem dauid super humerum eius. Super quo verbo dicit Damas. quarto libro Sanguis christi clauis est paradisi. eo ꝙ virtute sanguinis pro nobis in cruce fusi nobis aditus celestis glorie aperitur. Hāc autem clauem xp̄us super humerum suum posuit quando crucem suam ꝓpriis humeris baiulauit ⁊c̄.

lxxvi. ¶ Sub Sermo Secundus.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-v-105/0137
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt